



ÆNEÆ SYLVII COMMEN- TARIORVM CONCILII BASILIENSIS

Liber III. ad Iohannem de Segovia, Theologiæ Magistrum.

Coronationem summi Pontificis vario rumore notam esse Tibi, tuisque Collegis arbitror. Quia tamen varia apud vos conficta esse opinor, quæ inter se non cohæreant, dignum ipse putavi meis literis satisfacere veritati, vobisque ibidem sitientibus harum rerum narrationem efficere veridicam, remque (ut gesta est) ad unguem referre; atque (ut brevior sum) jam incipio. *Romanorum Pontifices coronari in generalibus Conciliis raro auditum est, tu tamen & Alexandrum Pisis, & Martinum Constantiæ coronatum audisti, sed præcedet hujus coronatio tantò illas, quanto & Felix illos nobilitate antecit. Ita enim iudicium eorum est, quæ & illas, & hanc contemplati sunt.* Referam igitur Ego de hac sed paucis; non enim *ut historicus scribo, sed ut servus Domini, res gestas epistolari genere doceo.* Transeo electionem de hoc Principe authoritate hujus synodi factam, quam alio loco (*secundo libro*) non paucis verbis scripsi, prætereo Legationem sibi missam, & consensum per eum præstitum, de quibus tu plane instructus es. Pergo ad Coronationem, quæ novo Calendas Augusti celebrata est in Civitate hac Basiliensi. Ipse autem Dominus noster triginta ante diebus, octavo Calendas Julii, ingressus erat; cujus introitus suum habere tractatum meretur: sed non omnia uno in tempore scribi possunt. Locus est ante cathedralem Ecclesiam latè patens, ubi spectacula populo fiunt; illic sublimis tumulus constructus est, & super illum Altare, excelso in angulo; de super pretiosi panni, ne vel pluvia, vel sol noceret. Prospectus exinde in omnem plateam fuit; huc Clerus, & universa Nobilitas, ipseque coronandus pontifex conscendit. Existimati sunt hominum circiter duo millia tribunal conscendisse. Venerat præcedenti die Ludovicus Sabaudia Dux, ipsius Romani Pontificis generatus; Vir comis aspectu, & affatu placidus, consilio & animo iusto; statura illi mediocris, & oculi peralbi. Cum ipso autem summo pontifice alter generatus profectus erat Philippus Comes Gebennensis, summa virtute, & honesto corpore, honestisque moribus adolescens; sociusque illi Ludovicus Marchio Salutarum fuit, quo in homine nescias formam vel eloquentiam magis admirere Magna præterea tam Ducem ipsum, quàm etiam sumum Pontificem tota Sabaudia sequuta Nobilitas erat, sui Principis visura coronationem; contenderantque ita (ut fit) singuli spectabiliores venire. Itaque fuit magnus virorum, magnusque equorum